CONCORDIA INTER REVERENDISSI MUM PATREM PRIOREM...

Clemens 9.>, Clemens 10.>

Digitized by Google

Priori Generali jus nominandi Præſidentes Capitulorum ipſius Congregationis, qui nomine ejuſdem Prioris Generalis omnia acta & electiones Capitulorum hujuſmodi approbandi auctoritatem haberent: poſtmodum eidem Congregationi Gallicanæ in dies benedicente Domino creſcenti à præfato Vrbano Prædeceſſore per alias ſuas litteras die 27. Aprilis M. D. C. XXXVII. emanatas, data fuit poteſtas reducendi ad meliorem formam ſtatuta, & conſtitutiones pro bono regimine dictæ Congregationis, quæ pariter approbata fuere ab eodem Vrbano Prædeceſſore per alias ſuas pariter in forma Brevis die 19. Auguſti M. D. C. XLI. expeditas litteras, in quibus primo dictis litteris concordiæ expreſsè, & ſpecificè derrogatum fuit. Verum ſub inde à tunc exiſtente Priore Generali Ordinis prædicti lis mota fuit. Porrecto tunc exiſtentium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Congregationi negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ ſupplici libello inter alia continente primo, quod per nova ſtatuta ejuſmodi dabatur dictæ Congregationi Gallicanæ licentia acceptandi & Reformandi Conventus dicti Ordinis, quod per dictam concordiam prohibebatur ſine licentia Prioris Generalis. Secundo quod in ſtatutis novis nulla erat mentio Prioris Generalis, ubi agitur de Præſidentia, & confirmatione capitulorum ejuſdem Congregationis; cum tamen in prædicta concordia daretur eidem Priori Generali nominandi jus Præſidentem Capituli, qui Prioris Generalis nomine acta ipſius Capituli confirmaret; petijtque idem Prior Generalis, ut dictæ lit-

... ſuper confirmatione novorum ſtatutorum hujuſmodi emanatæ ſubreptitiæ ac proinde nullius valoris declararentur. Cumque dicto ſupplici libello à tunc exiſtente Procuratore Generali prædictæ Congregationis Gallicanæ reſponſum fuiſſet, memorata Cardinalium Congregatio providit ſolum circa primum punctum, alijs & præcipue articulo Præſidentiam concernente intactis relictis cum declaratione tamen, quod nova ſtatuta præfata per ſedem Apoſtolicam approbata eſſent. Unde cum hucuſque nullæ litteræ Priorum Generalium ejuſdem Ordinis ſuper Præſidentia Capitulorum dictæ Congregationis Gallicanæ emanatæ fuerint admiſſæ, dicti vero Priores Generales facultatem deputandi Præſidentes hujuſmodi ſemper ſibi aſſeruerint, tandem ad tollendas lites, & pro bono pacis, majorique unione dictæ Congregationis Gallicanæ cum Priore Generali Ordinis Præſati factum fuit inter dilectum Filium Hieronimum Valvaſorium ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem ex una, & dictam Congregationem ex altera partibus concordatum, ſive tranſactio tenoris qui ſequitur. Videlicet, Magiſter Frater Hieronimus Valvaſorius Mendiol totius Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Prior Generalis, inſtante pluries apud Nos Reverendo Patre Petro à Matre Dei Congregationis Diſcalceatorum Galliarum Ordinis noſtri, in hac Romana Curia Procuratore Generali ad hunc effectum ſpecialiter pro ut aſſerit deputato, quatenus ad majus ejuſdem Congregationis erga nos & totum Ordinem filialis & fraternæ dilectionis & unionis Argumentum ſu-

Digitized by Google

per Præſidentis Capituli ejuſdem Congregationis proviſione ad aliquod concordatum devenire benignè dignaremur, ut ſic vel minima occaſio tollatur in poſterum ſuper hoc negotio dubitandi aut lites ad tempus deſertas reaſſumendi, nos cum ſummopere Filiorum & Fratrum totius Ordinis concordiam, & unionem toto cordis affectu non modo diligamus, ſed etiam ardenter cupiamus, & pro viribus promovere ſtudeamus, libenter de conſenſu quoque admodum RR. PP. qui nobis aſſiſtunt deveniendum duximus ad ſequentia circa dictæ Præſidentiæ expeditionem concordata capita, hinc inde conjunctim, & in ſolidum tam ex præfatæ Congregationis Diſcalceatorum, quàm totius ordinis parte acceptando, & integrè ac inviolatè & non aliter impoſterum obſervanda. Primum quod Diffinitorium dictæ Congregationis Diſcalceatorum tempore opportuno pro Præſidentia debeat legitime proponere Reverendiſſimo Patri totius Ordinis pro tempore Priori Generali tres ejuſdem Congregationis Patres ab eodem Diffinitorio ex alijs Provincijs ex quibus non debeat fieri electio Vicarij Generalis per ſecreta ſuffragia ad effectum proponendi ſeligendos, ex quibus ſit obligatus dictus Prior Generalis Ordinis duos tantum ad ſui arbitrium pro dicta Præſidentia purè & ſimpliciter in ſubſtantia nominare, aſſumere, & deputare, & eoſdem ſic deputatos dicta Congregatio acceptare, quorum ſecundus Præſidere debeat ſolum in deffectu, vel caſu impedimenti primi. Secundum, quod in caſu quod dicti tres Patres à Præfato Diffinitorio tempore opportuno, nempe duos ad

minus integros mentes ante ſtatutum tempus celebrationis Capituli dictæ Congregationis legitimè, & cum effectu eidem Patri Priori Generali non fuiſſent propoſiti; tunc poſſit idem Pater Generalis Independenter ab eadem Congregatione ad ſui Arbitrium pro dicta Præſidentia duos præfatæ Congregationis Patres nominare, qui ad Præſidendum modo prædicto acceptari debeant. Pro caſu autem abſentiæ Reverendiſſimi Prioris Generalis à Romana Curia pro adimpletione hujus ſecundæ conditionis, debet ſufficere ut tres Patres electi ad prædictum effectum proponantur Commiſſario, ſeu Vicario Generali ejuſdem Reverendiſſimi Patris Generalis Romæ degenti, qui de prædicta ſecunda conditione ex parte dictæ Congregationis adimpleta, ipſum Reverendiſſimum Patrem Admonebit, & in caſu tamen impedimenti vel in deffectu ejuſdem Prioris Generalis duos ex tribus propoſitis pro Præſidentia ut ſupra deputabit. Tertium, quod Pater Præſidens ut ſupra electus, & acceptatus confirmare debeat electiones, acta, cæteraque confirmanda ad præſcriptum conſtitutionum, & ſtatutorum modernorum ejuſdem Congregationis; & in fidem. Datum Romæ in Conventu noſtro ſancti Auguſtini die prima Octobris M. D. C. LXVIII. Frater Hieronimus Valvaſorius Generalis inde noſtri muneris Firmato Sigillo, Loco ✠ Sigilli, Magiſter Frater Franciſcus-Maria Ferragata Secretarius Ordinis Regiſt. Libro ſecundo. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dictus Petrus Procurator Generalis Concordatum, ſeu tranſactionem hujuſmodi quo Firmius ſubſiſtat

Digitized by Google

Apoſtolicæ Confirmationis Noſtræ Patrocinio Communiri ſummopere deſideret. Nos ipſum Petrum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſeriè abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum Conſilio veris exiſtentibus Narratis, enarratam tranſactionem inter Priorem Generalem Ordinis, & Fratres Congregationis Gallicanæ, hujuſmodi authoritate Apoſtolica tenore præſentium Confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis Robur adjicimus, ac omnes & ſingulos Iuris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes eaſdem Præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios & delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores judicari & deffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter

Digitized by Google

... contigerit attentari. Nonobſtanti-
bus Præmiſſis ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis & Congregationis Gallicanæ hujuſmodi etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, Privilegiis, quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis in contrarium Præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenore præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & insertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad Præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI. Aprilis M. DC. LXIX. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

I. G. SLUSIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRATRES
EXCALCEATOS
Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini veros eſſe ejuſdem Sancti Patris filios, necnon eos, & eorum Congregationes gaudere omnibus privilegiis, quibus ejuſdem Ordinis Calceati gaudent.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ſicut accepimus, aliàs à Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad favorem Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini emanaverint duo Decreta tenorum, qui ſequuntur, videlicet. *Agoſtiniani Scalzi. Al memoriale del ſequente tenore.* Fratres Diſcalceati S. Auguſtini Congregationis Italiæ,

Digitized by Google

& Galliarum, qui aliquando calumniantur, quod non ſint veri filij ejuſdem Sancti, nec gaudeant privilegio erigendi de licentia Vicarij Generalis in eorum Eccleſiis Societates Corrigiatorum ac Corregiatarum S. Auguſtini, & S. Monicæ, cum iiſdem privilegiis, gratiis & indulgentiis, hactenus Archiconfraternitati ſub titulo Dominæ noſtræ de Conſolatione in Eccleſia S. Iacobi Bononiæ erectæ conceſſis, & concedendis, perinde ac Calceati eas erigunt in propriis Eccleſiis de licentia Generalis, juxta Breve Gregorij XIII. ſub dat. 12. Novembris M. D. LXXIX. quod incipit Volentes ſicut conveniens eſſe videtur, quod Patentes unionum, &c. atque aliis, quibus gaudent Fratres Calceati. Ad obviandum eidem calumniæ ſupplicant humiliter EE. VV. ut dignentur declarare Oratores eſſe veros S. Auguſtini filios, juxta Breve fel. mem. Clementis Octavi ſub dat. 12. Decembris M. D. XCV. quod incipit. Exponi Nobis nuper feciſti, &c. & alterum Breve Urbani Octavi ſub dat. 21. Iulij M. DC. XXIII. & aliud expeditum ſub die 29. Auguſti M. DC. XLI. & gaudere dicto, atque aliis omnibus privilegiis omnium Mendicantium, & quibus gaudent Fratres Calceati, ſtante quod Diſcalceatorum Congregatio fuit inſtituta ab ipſomet Ordine in Capitulo generali de anno M. D. XCII. & germana S. Auguſtini fuit habita à San. mem Clemente Octavo in Breve ſuper receptione Novitiorum, & ſimiliter fel. recor. Paulo V. in Breve ſuper confirmatione Conſtitutionum atque aliis. Nec equum eſt, ut major obſervantia in hac parte eis præjudicet,

&c. SAC. Congregatio Eminétiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, Eminentiſſimo Carpineo referente, cenſuit Oratores eſſe veros S. Auguſtini filios, & tàm eos, quàm illorum Congregationem gaudere omnibus Privilegiis, quibus Calceati, eorumque Religio gaudent. Romæ prima Septembris M. DC. XLV. ita reperitur in Regeſto auctographo Sac. Congregationis, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, habitæ, ubi ſupra. In quorum fidem, &c. hac die vij. Februarij M. DC. LXXIII. C. de V. Archiepiſcopus Athen. Secr. Loco † Sigilli. SAC. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita ad compeſcendam nimiam eorum licentiam, qui contra declarationem aliàs ab hac Sacr. Congregatione latam ſub die prima Septembris M. DC. XLV. auſi fuerint deinceps aſſerere: Fratres Diſcalceatos S. Auguſtini non eſſe veros ejuſdem S. Patris filios, nec eos eorumque Congregationes gaudere omnibus Privilegiis, quibus Calceati, illorumque Religio gaudet; Eminentiſſimo Carpineo referente, ſupradictam declarationem, etiam quoad Fratres Congregationis Hiſpanicæ renovans, & confirmans, pœnam excommunicationis majoris, S. Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, contraventoribus impoſuit, & ad tollendas hujuſmodi contentiones, & jurgia, quæ inter Fratres ſupradicti Ordinis, & Congregationum Diſcalceatorum, non abſque Religioſi ſtatus dedecore, ac ſæcularium ſcandalo pro-

Digitized by Google

deunt. Neve Frater cum fratre contendat, eoſdem ſeriò monet, ac hortatur in Domino, ut proprij Inſtituti memores, ac fraternæ charitatis, per quam ſub eodem Inſtituto vocati ſunt in Societatem Chriſti in uno Spiritu, contentiones hujuſmodi, quæ religioſam unitatem maximè labefactant, deponant omninò: Quinimmo enitantur potius, ut ambulantes in domo Dei cum conſenſu per mutuam in ſeipſos charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, verius, quàm per habitum, & calceamenta, tanti Patris filios ſeſe exhibeant. Dat. Romæ xj. Auguſti M. DC. LI. M. Cardin. Ginettus. M. Albericius Secr. Loco † Sigilli. Nos decreta hujuſmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari cupientes, dictóſque Fratres Excalceatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſeriè abſolventes, & abſolutas fore cenſentes. MOTU proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine duo Decreta præinſerta, cum omnibus, & ſingulis in eis reſpectivè contentis, & expreſſis tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illíſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui in præmiſſis Decretis quomodolibet intervene-

Digitized by Google

rint, ac interveniſſe dici; cenſeri, vel prætendi quovis modo poſſent, pleniſſimè & ampliſſimè ſupplemus & ſanamus, Decernentes eaſdem præſentes litteras, & decreta præinſerta ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inanè ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenùs opus ſit dicti Ordinis, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis qui-

buſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die iij. Martij M. DC. LXXIV. Pontificatus noſtri Anno quarto. I. G. Slusius.

ROMÆ.

Ex Typographia Reverendæ Cam. Apoſt. 1674.

Loco ✠ Sigilli. LAVRENTIVS BELLY.

Vidimus Lugd. 28. *Iunij* 1674. MORANGE.

Vidimus et sigillum nostrum apponi jussimus. parisijs die 22a octobris 1676.

Aegidius Epus Nannetensis



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google